



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio LXXVII. De Canonico Collegiatæ ob visitationem diœcesis non
residente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

dari satis ostensum est: quod non tollitur, esse Professores Heterodoxi præfarent Catholicis, quod tamen plerumque verum non est, imò certò falsum ex eo, quia illi tradunt Jurisprudentiam mancã, & multis falsitatibus vitiatam: an igitur tanto ære hanc & simul ruinam spiritualem emere sit operæ pretium? Ad VI. non debet attendi, quid fiat: sed quid fieri debeat ac li-

ceat. Illos tantæ authoritatis viros, siqui sunt, omni veneratione suspicio, & malo credere, eos per accidens excusari (de quo ipsi viderint) quàm arguere vel judicare. Sufficit mihi mentem meam exposuisse, quid in thesi & per se verum esse in hac quæstione sentiam, abstrahendo à circumstantiis particularibus.

TITULUS IV.

De Clericis non Residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

DECISIO LXXVII.

De Canonico Collegiatæ Ecclesiæ ob visitationem Diocesis non Residente.

SPECIES FACTI.

Ab eodem Timotheo, ad quem Philander consilii causâ in priori casu recurrit, haud multò antè consultum petiit Philibertus, Collegiatæ Ecclesiæ in Civitate Episcopali Canonicus, & Generalis Dioceseos Visitator constitutus ab Episcopo, cui ex merito suo in amoribus & pretio est maximo, datis ad eundem his litteris: Multum venerande Timothee. Postquam Canonicatus mei ad instantiam Celsissimi possessionem cepi inter Ca-

pitulares receptus, idem Celsissimus & Gratiissimus Dominus, ac Episcopus meus, grave Visitatoris munus per totam diocesim mihi imposuit. Parui, ut decuit, clementissimis iussis, humeros meos, ut ut debiles, huic oneri supponens. Cùm verò Diocesis nostra sit admodum ampla, impossibile mihi est intra tres menses interpolatos, prout officium Visitatoris exigit, per quos ex indulgentia Concilii Tridentini omnibus & singulis

lis Canonicis abesse licet à suis Ecclesiis, visitationem absolvere, Domini Con-Canonici autè ex una parte nolint pro tempore, quo ultra tres menses residentiam ex dicta causa facere non possum, mihi concedere fructus annuos, minùs distributiones quotidianas, ex altera verò parte mihi admodum difficile accidat carentià dictorum fructuum & distributionum luere obsequium meum Episcopo, cui aliàs de Jure incumbit Visitatio, uti & Diocesi non sine magno labore meo impensum; rogo perquam demissè, ne, ubi otium fuerit, gravetur pro antiqua in me benevolentia & necessitudine,

nos inter multis jam annis habita, ut tres sequentes quaestiones secundum Sacros Canones, quorum ingenere claret peritia, respondere, apponere ubique in utramque partem rationibus dubitandi & decidendi, nempe I. An etiam Canonicis Collegiatæ Ecclesie liceat à suis Ecclesiis abesse ultra tres menses ex causa Visitationis ab Episcopo injunctæ? II. An visitatio ultra trimestre ex dicta causa ab Episcopo, & personaliter non residentibus, debeantur fructus Canonicales seu annui absque ulla subtractione? III. an etiam distributiones quotidianæ?

QUÆSTIO. I.

An etiam Canonicis Collegiatæ Ecclesie liceat ex causa Visitationis ab Episcopo injunctæ ultra tres menses abesse à suis Ecclesiis.

Rationes Dubitandi.

I. **T**ridentinum sess. 24. c. 12. de Reform. ultra tres menses Canonicis absolutè, & sine ulla exceptione, an in servitio Episcopi existant vel non, abesse à suis Ecclesiis non permittit, quod est Jus Novissimum. II. Et quamvis c. de cætero 7. & c. ad audientiam 15. h. t. permittant Canonicis, in servitio Episcopi occupatis, absentiam illimitatè, ac sine præfinitione certorum mensium, tamen loquuntur tantùm de Canonicis Ecclesiarum Cathedralium: ergo, cum hæc Jura sint exorbitantia à Jure Commu-

ni, residentiam omnibus Canonicis strictè injungente, non sunt extendenda ad Canonicos Collegiatæ Ecclesiarum: præsertim III. quia absentia est damnosa Ecclesiis, & præjudicans cultui divino. Abbas in c. dilectus. h. t. n. 7. item IV. quia propter quam Canonicis in servitio Episcopi, quale quidem est etiam Visitatio Diocesis, occupatis, non veniatur in Canonicis Collegiatæ Ecclesiarum; nam ratio Juris fundatur in communione, quæ reperitur inter Episcopum & Canonicos Ecclesie

Episcopalis seu Cathedralis, simul unum corpus constituentes. c. 4. de his, quæ sunt à Prælato. quæ communio & unitas corporis inter Episcopum & Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ non datur; saltem non tanta, quanta inter Episcopum & Canonicos Cathedralis Ecclesiæ. V. Si Canonicis Collegiatarum Ecclesiarum liceret abesse ultra tres menses à Tridentino permisso ex causa servitii Episcopo præstandi, etiam ex eadem causa liceret ultra tempus à Jure permillum abesse aliis Beneficiatis non-Canonicis, vel Patrocinis etiam, si eos Episcopus faceret

suos Vicarios, vel applicaret ad sua servitia, ad visitandam Dicecesim &c. sed hoc est falsum, ut censuit S. Congregatio Conc. Trid. & notat Hieron. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. gloss. 6. n. 258. saltem extra urgentem necessitatem ipsius Episcopi, ut observat Leuren. de fora Benefic. p. 1. q. 405. n. 4. cum Lotter. Gar. Navar. Zecho, & Lopez. VI. quia Canonicis Collegiatarum Ecclesiarum ultra tres menses ob servitium Episcopo impensum absentiam negant multi & graves DD. uti Abb. Jo. Andr. Imola, Pirhing, Wiestner ad h. t. n. 31.

Rationes Decidendi.

Contra omnibus illimitatè, adque non minus Collegiatarum, quàm Cathedralium Ecclesiarum, Canonicis, quos in suum servitium, v. g. ad minus Visitatoris, assumit Episcopus, ultra tres menses à suis Ecclesiis abesse licitum esse docet major Doctorum numerus, nî fallor, & qualem majori cum fundamento tam Jura, quàm Rationis. Sic enim tradunt Moneta de distribut. quotid. p. 2. q. 2. n. 6. Fagnan. in c. 7. cit. n. 11. seqq. Hieron. Gonzal. lo. cit. n. 261. Lotter de Re Benefic. l. 3. q. 27. n. 190. Barbosa in d. c. 7. n. 4. & in tract. de Canonis c. 25. n. 8. Palao de orat. publ. d. 3. pa. 9. §. 7. n. 1. 4. Leuren. de fora benef. p. 1. q. 405. n. 1. 3. Pignat. to. 9. consult. 114. n. 32. 33. & consult. 115. n. 36. P. Reiffenstuel ad h. t. n. 153. Allegantur quoque Garcias, Navar. Huicda, Salcedo, Rebuff, Bonac.

Læz. Zech. aliique, Barbosa autem d. n. 8. c. 25. refert, quoque claram decisionem S. Congreg. Conc. Trid. ad hoc dubium, quod sæpius motum fuisse se meminisse ait, datam in causa Coloniensi ad interrogationem Archiepiscopi Electoris, an liceret pro servitio suæ Dioecesis assumere duos Canonicos ex qualibet Collegiata: sicut licet assumere ex Cathedrali? Respondit enim S. Congregatio die 9. sept. 1628. Episcopum posse uti operâ duorum Canonicorum sive de Cathedrali sive de Collegiata Ecclesia, sed non plus duobus.

Adstipulatur quoque Jus ipsum, & ratio Juris. Jus quidem, maximè in d. c. 7. ubi fingit, Canonicos, in servitio Episcopi vel Prælati sui occupatos, præsentem esse, quantocunque tempore absunt, nullum tempus determinando, item agit de Canonicis qui-

quibusvis; cùm ex superscriptione textui præposita non colligatur, ad quem hæc decretalis data sit, an ad Episcopum, vel ad alium Prælatum. Fagnan. n. 2. textus autem sic habet: *Præsenti scripto statuimus, ne Canonicis tuis, donec in servitio tuo fuerint, quidquam subtrahi vel auferri debeat, quod sibi de Beneficio communitatis debetur, nisi forte virtualia (distributiones nimirum quotidianæ) sint, quæ non consueverunt absentibus exhiberi.* Concordat c. ad audientiam 15. eod. ibi: *Decernimus, ut duo ex Canonicis Ecclesie memoratæ, in tuo servitio existentes, suarum fructus integrè percipiant Præbendarum: cùm absentes dici non debeant, qui tecum pro tuo & ipsius Ecclesie servitio commorantur:* ergo Canonici ob servitium Episcopo, vel Ecclesie ipsius, ut contingit per visitationem Diocesis, quæ redundat in bonum tam Episcopi, ad visitandum aliàs obligati, quàm Ecclesie ipsius nempe universalis, seu totius Diocesis, absentes habentur pro præsentibus, quanocunque tempore ex ista causa absuerint: ergo possunt ultra trimestre, à Tridentino permillum, abesse, & fictione Juris habentur pro residentibus & præsentibus. Nec obstat, quòd in d. c. 15. Sermo sit de Canonicis Cathedralis Ecclesie per verba, *memoratæ Ecclesie*, nempe Meldensis, ad cujus Episcopum decretalis hæc missa est; quia solum occasione facti de Canonicis Cathedralis Ecclesie, quibus lis est mota, sermo incidit, adeoque solum

per accidens, non verò per modum decisionis, quasi Pontifex tantum Canonice Cathedralium Ecclesiarum voluisset id Privilegii concedere, exclusis Canonicis Collegiarum; præsertim cùm contrarium suadeat quocumque. Ratio Juris, eaque fundamentalis & principalis, ob quam citata leges voluerunt pro hoc casu indulgere Canonicis absentiam, quæ non est, fuit, quàm bonum & utilitas tantum Episcopi tum Ecclesie, ut patet c. dd. cc. nam prius præmisit verba: *quod dignum est & conveniens, ut visitatione Canonice, donec circa te in tuo servitio morantur, communitatis percipiant:* posteriùs subiungit: *cùm absentes dici non debeant, sed præsentibus, qui tecum pro tuo & ipsius Ecclesie servitio commorantur.* Sed hæc ratio fundamentalis & principalis æquè verificatur in Canonicis Collegiarum Ecclesiarum, ac in Canonicis Cathedralium: ergo quo ulterius sic licet discurrere: hæc ratio Juris spectet bonum Ecclesie & Episcopi quæ talis, seu ut obligati ad providendum suæ Ecclesie Diocesi per visitationem & similitudina, sequitur manifestè, hoc Jus esse favorabile: ergo est lata interpretationis. c. 15. de R. J. in 6. præsertim cùm hoc privilegium, Canonice concessum, proveniat à Summo Pontifice ac insuper in Corpore Juris sit confirmatum, cujusmodi sunt latissimæ interpretationis. c. 22. de Privileg. c. 16. de V. S. ut fatentur omnes: ergo potest imò debet extendi ad omnes.

veniant nomine *Canonicorum*, quam vocem adhibet Jus: ergo etiam ad Canonicos Collegiarum Ecclesiarum; quia in vero & proprio sensu sunt *Canonici*. Adde, quod in hac dispositione favorabili nomine *Ecclesie* & *Episcopi* merito intelligatur to-

ta *Dioecesis*, cujus bonum promovetur vel maximè per visitationem: ergo, qualiscunque fuerit *Canonicus*, ad visitationem ab *Episcopo* designatus, gaudere debet privilegio absentiae per totum tempus, quò visitat *Dioecesim*.

Respondetur ad Rationes Dubitandi.

ADI. Tridentinum loquitur generaliter, e contra autem Jura citata in c. 7. § 15, loquuntur specialiter de *Canonicis* in servitio *Episcopi* & *Ecclesie* occupatis: sed genus non derogat speciei, quamvis vice versa per speciem derogetur generi. c. 34. de R. J. ibi: *generi per speciem derogatur*; adeò non derogatur speciei per genus, ut notant DD. ac in specie de nostro casu omnes, quos vidi, unanimi ore. Ergo per Tridentinum non derogatur licentiae non residendi ob causam servitii, *Episcopo* & *Ecclesie* impensis à *Canonicis*, concessa à dd. cc. 7. § 15. Sicut ergo per Tridentinum non derogatur licentiae non residendi ob alias causas in Jure specialiter proditas, v. g. ob causam studiorum, ob causam defensionis jurium *Ecclesie* &c. ita Tridentinum nec adimit privilegium absentibus ob causam servitii, *Episcopo* quò *Episcopo*, & *Ecclesie* à *Canonicis* præstiti vel præstandi. Ad II. *N. antec.* nam c. 7. loquitur de *Canonicis* præcisivè, & c. 15, solum occasionaliter loquitur de *Canonicis Cathedralibus*; ac insuper ratio Juris exigit extensionem etiam

ad *Canonicos Collegiarum Ecclesiarum*, etiam si per in concessum in utroque capitulo esset sermo præcisè de *Canonicis Cathedralium*. Negatur quoque, quòd hæc dispositio de *Canonicis* in servitio *Episcopi* occupatis exorbitet à Jure & Regula communi; nam hanc solum limitat favorabiliter ad bonum commune *Ecclesiarum*, & partialiter constituit Jus commune.

Ad III. *Neg. antec.* ratio negandi claret ex dictis; nam ubi favor & odium in aliqua lege ita concurrunt, ut separari nequeant, attendendum est, quid lex principaliter intendat: cum autem allegata Jura principaliter spectent favorem *Episcopi* seu *Ecclesie* (cum *Ecclesia* censeatur esse in *Episcopo*. *can. scire debes. caus. 7. q. 1. can. similiter. caus. 16. q. 1.*) hæc Jura simpliciter pro favorabilibus habenda sunt. Ad IV. Pariter liquet ex dictis, quòd nimirum ratio Juris non fuerit communio inter *Episcopum* & *Canonicos Cathedralis*, cum de hac nec verbulò fiat mentio, sed bonum *Episcopi* & utilitas *Ecclesie*, atque convenientia, ut ex tali causa absentes fingerentur

tur esse presentes, ut indicant verba textuum. Ad V. Multi concedunt sequelam (exceptis tamen Parochis, & beneficia curata obtinentibus) propter paritatem rationis, uti Fagn. Navar. Hieron. Gonzalez, Barbosa, Palao &c. saltem pro casu, quo ob defectum æquè apti ex Canonicis ad visitandum non adessent, vel saltem non tam utiles ad id munus, accedente Episcopi dispensatione; imò Pignatelli *d. consult. 114. n. 33.* ait, *id serè omnes supponere*, sine dicta limitatione necessitatis & dispensationis, cum

Innoc. in *c. 7. cit. sub initium*, quod nempe etiam inferiores Beneficiarii non Curati, ad residendum tamen alias obligati, ex causa servitii Episcopalis deobligentur à residendo. Deinde quidquid sit de inferioribus Clericis Beneficiariis, saltem de Canonicis omnibus illimitatè dicta Jura sunt intelligenda, quia utuntur voce Canonici. Ad VI. Plures, & quidem melius Jure, & solidiori ratione permittunt absentiam ex dicta causa saltem Canonicis Collegiarum Ecclesiarum cum S. Congreg. Cardinalium.

Q U Æ S T I O II.

An Canonicis Collegiata Ecclesia ob servitium Episcopi fructus ultra trimestre debeantur Canonicales integri?

Decisio hujus quæstionis affirmativa, uti & rationes decidendi, manifestè fluunt & subsistere intelliguntur ex Juribus & DD. pro primæ quæstionis resolutione allegatis; omnes enim illi DD. qui Canonicis Collegiarum quoque Ecclesiarum ex causa servitii Episcopo in visitatione diocesis vel simili functione præstiti abesse ultra trimestre indulgent, isdem pariter indulgent fructus Canonicales suarum præbendarum sine omni defalcatione aut subtractione; idque in terminis terminantibus statuunt ex æquitate & convenientia textus *c. de cetero 7. § c. ad audientiam 15. cit.* in priori disertè vult Alex. III. *ne Canonicis* (abstrahendo, an Cathedrales vel Collegiales sint) *donec in servitio*

sui Prælati fuerint, quidquam subtrahatur, *debeat vel auferri, quod de communitatis sibi beneficio debetur*; in posterum autem Honorius III. decrevit, *ut Canonici in Episcopi servitio existentes præbendarum fructus integrè percipiant præbendarum*. Ratio est clara; quia hæc hypothesi, quòd servitium Episcopi iusta & à Jure approbata causa non residendi (quam hypothesin in q. probavimus) hoc ipso fructus Canonicales de Jure debentur, tanquam fictione Juris præsentibus, uti præbentur pari cum non residentibus ex causa studiorum, sanitatis &c. imò etiam pari cum Canonicis Cathedralium Ecclesiarum ex causa servitii Episcopi absentibus, quibus etiam Absentibus omnes fructus Canonicales absque

abstractione adjudicant. Neque obstat Tridentinum s. 24. c. 12. V. *Præterea de res.* ubi vult Canonicos ultra trimestre absentes privari fructibus generaliter, & præcisivè, an absint sine vel cum causa, & quidem non obstante quolibet statuto aut consuetudine. Siquidem Tridentinum nec verbum insinuat correctionem Juris antiqui, quod Canonicis absentibus, ex omni causa quantocumque tempore non residentibus, indulget fructus integros, ac insuper disponit tantum generalibus terminis: sed correctio Juris sine claro textu non est asserenda, nec dispositio generalis derogat dispositioni speciali, pro certis circumstantiis emanata, ut habent principia Juris ab o-

mnibus admittitur: ergo Tridentinum non correxit vel derogavit Juri Antiquo, Canonicis absentiam & fructus Canonicales integros pro circumstantiis & ex causa servitii Episcopalis indulgenti, ut habet omnium sententia; alias enim neque Canonicis Cathedralium Ecclesiarum ob servitium Episcopi non residentibus Adversarii possent tribuere integros fructus Canonicales. Quæ in contrarium contra Canonicos Collegiarum Ecclesiarum circa perceptionem dictorum fructuum asserunt Adversarii, non differunt à rationibus dubitandi in prima quæstione allatis, & jam solutis; idcirco eas repetere non est necesse.

QUÆSTIO III.

An Canonicis Collegiæ Ecclesiæ ob servitium Episcopi absentibus debeantur quoque distributiones quotidianæ?

Ratio dubitandi est I. Ad lucrandas distributiones quotidianas sufficit evidens Ecclesiæ utilitas. Per verba c. un. de Cleric. non resid. in 6. ibi: *exceptis iis, quos evidens Ecclesiæ utilitas excusaret à præsentia in Choro:* sed in præsentis casu, ubi Canonicus ab Episcopo constituitur Dicecesis Visitator, datur evidens Ecclesiæ utilitas, nimirum Ecclesiæ universalis & totius Dicecesis, non obstante, quod immediate & directè hujusmodi visitatio non redundet in utilitatem Ecclesiæ propriæ, nimirum vel Cathedralis vel Collegiæ, cujus membrum est Visi-

(R. P. Picbler Decisiones.)

tator; cum utilitas communis totius Dicecesis fiat propria cuilibet Ecclesiæ particulari in Dicecesi, & bonum commune sit excellentius particulari; quæ de causa fortè in d. c. un. simpliciter dictum est *evidens Ecclesiæ utilitas, omisso verbò propriæ:* ergo. II. Absens ex justa causa dicitur non abesse, & fingitur esse præsens. c. 13. eod. X. præsertim si absit ob utilitatem publicam, v. g. missus ad Concilium Generale, vel Provinciale, vel Dicecesanum. Rebuff. in *Praxi beneficiorum tit. dispensatio de non residendo n. 34.* asserens, id declaratum esse à Concilio

K k k Con-

Constantiensi pro presentibus dicto Concilio. Concordat Barbofa *de offic. & pot. Episc. p. 3. alleg. 53. n. 158.* cum Salcedo, Sanctarellò, Ugolino &c. III. Infirmi & servientes Prælati æquiparantur *c. 15. eod.* sed infirmi, licet non intersint personaliter Officiis Divinis, tamen lucrantur distributiones. *c. un. cit.* ergo. IV. Tam fructus grossi seu Canonicales, quàm distributiones quotidianæ, designantur Canonice in stipendium Officii Clericalis: ergo, sicut occupati in servitio Episcopi, quale est etiam visitatio Diœcesis, lucrantur fructus grossos, uti vidimus *in q. 2.* etiam lucrari debent distributiones quotidianas. His necquicquam obmotis,

Decisio est negativa, clarè prodita *in c. de cetero 7. h. t.* ubi Canonice ob servitium Episcopi absentibus, sicut conceduntur fructus communes & annui, ita negantur distributiones quotidianæ per verba finalia: *nisi forte sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi:* per victualia enim, uti & per beneficia manualia hoc loco, intelliguntur distributiones quotidianæ. *c. un. cit.* Consonat *c. 15. cit.* ubi hujusmodi Canonice solummodo conceduntur fructus suarum prabendarum: sed per per hos veniunt tantum fructus grossi & annui, non verò distributiones: ergo his Canonice istæ non conceduntur à Jure: ex ulteriori ratione; quia distributiones principaliter introductæ sunt, ac de Jure debentur, non propter residentiam in loco beneficii, sed propter presenti-

am in Choro, & singulas interfectiones in Officiis Divinis, ut hoc pacto Canonici stimulentur ad diligentiores frequentiam actualem in Choro, & sequitumque Ecclesiasticum adhiberi in Ecclesia præstandum, & sic promoveatur cultus Divinus. *c. un. b. 1. 6. Trid. Sess. 23. c. 3. & Sess. 24. 12. de reform.* Ita quidem, ut locum pro tribus casibus in *d. c. un.* expressis dari possint distributiones non tantum presentibus in Choro & Officiis Divinis, nempe *si infirmitas, vel valetudo corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas* (nimirum propria, in qua dicitur est Canonice, ut explicat communis DD.) excuset ab interfectione & propterea actuali in Officiis Divinis: inter quos tres causas non reputatur esse servitium Episcopo in Visitatione vel alia destinatione impensum, ut notant plerique DD. omnes cum superius *in q. 1.* per utraque parte allegatis, atque *in Gonzal. in d. c. 7. n. 3.* congentur plures.

Rationes dubitandi haud difficiliter diluuntur. Prima quidem; quia communis DD. sensus, per Decretum Romanæ Curie & generalem proxime confirmatum, intelligit textum *d. c. un.* de illis Canonice, qui sunt propter evidentem utilitatem Ecclesiæ propriæ, in qua sunt Canonice ut adeo non sufficiat utilitas directæ & immediatè non redundans in propriam Ecclesiam, sed solum mediata & indirectè in illam redundans et utilitate universalis Ecclesiæ, seu Diœcesis, per visitationem præ-

Garc. h. n. 332. p. 3. c. 2. allegans de-
 clarationes Card. & Trid. S. 22. c. 3.
 v. quod si alicui. de ref. Moneta. de
 arbit. quot. q. 11. n. 63. p. 2. Barb.
 de potest. Episc. p. 3. alleg. 53. n. 163.
 Leuren. p. 1. q. 404. n. 4. cum Azor.
 Pithing &c. *Secunda*; quia absens
 ex justa causa habetur quidem pro
 presente & residente ad effectum
 lucrandi fructus annuos, non tamen
 habetur pro interessente Officiis Divi-
 nis, pro presente in choro, quæ tam-
 men interessentia, & presentia de Ju-
 re necessaria omnino est ad effectum
 lucrandi distributiones quotidianas.
 DD. passim. *Tertia*; quia, licet in-
 firmi & servientes Prælati æquipa-
 rantur in cit. c. 15. in ordine ad lu-
 crandos fructus annuos; non tamen
 æquiparantur in ordine ad distributio-
 nes quotidianas, sed in Jure contra-
 distinguuntur, ita ut infirmis quidem,
 qui morantur in loco Beneficii, &
 Officiis Divinis interesse nequeunt,
 concedantur in c. un. h. t. in 6. non
 tamen concedantur servientibus Epi-
 scopo, neque in hoc, neque in alio Juris
 Canonici textu, præsertim servientibus
 Episcopo in visitatione Diocesis, qui
 nunquam absunt à loco sui Canoniciatus,
 quo casu nec infirmis indulgentur
 distributiones, saltem si aliàs, dum
 presentes erant, non soliti sint fre-

quantare Chorum, & per se ipsos
 præstare servitia. Reiffenstuel ad h. t.
 n. 188. § 192. *Quarta*; quia, quam-
 vis utriusque generis fructus desi-
 gnentur in stipendium Officii Cleri-
 calis, non tamen designantur ex eo-
 dem capite & causa; quippe fructus
 annui deferuntur propter Beneficium
 & residentiam in loco Benefici pro
 alimentis Beneficiati aut Canonici;
 distributiones verò propter singulas
 interessentias in Officiis Divinis, & a-
 ctuale servitium in Choro: plus igitur
 Jura requirunt ad lucrandas distri-
 butiones, quàm ad lucrandos fructus
 Canonicales. Emm. Gonz. h. n. 7.

Utut autem ista sic se habeant, pro-
 hibitum tamen non est Canonico, ad
 visitandam diocesim constituto ab
 Episcopo, recurrere ad Pontificem,
 & petere gratiam percipiendi quoque
 distributiones pro tempore, quo visi-
 tat, quam ex tam justa causa speciali-
 ter in utilitatem maximam totius Dioc-
 cesis cedente non difficulter etiam
 obtineret. Leuren. q. 406. n. 2. Do-
 nec autem privilegium hoc obtinuerit
 Româ, interim ad breve tempus
 poterit illud dare Episcopus, ut exi-
 stimat Palao cit. pu. q. §. 10. n. 3. cum
 Zerola, Comitolo, Barb. & Zech.
 contra Garziam.

